

ORATIO
DE
GLORIA



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29

VIATICUM ACADEMICUM

Sive,

Ex numerorum triangularium

C A B A L A

Modesto, erudito, & bona spei Adolescenti

Joh. Valentino Rhetio,

Patricio &c.

Ad meliorem, Liberalium Artium, mercaturam,

BRANDEBURGICAS ATHENAS,

Bono cum DEO

abiturienti,

DE GLORIA CONCVPISCENDA &c.

Publicè, Valedictionis ergò, peroranti

suspitio pio congratulatur.

Alphabetum ex numeris Triangularibus.

I	3	6	10	15	21	28	36	45	55	66	78	91	105	120	136
A	B	C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	N	O	P	Q
153	171	190	210	231	253	276									
R	S	T	U	X	Y	Z									

JOHANNES VALENTINUS RHETIUS DANTISCAN;

Summa 3071.

Vorum ἰσοψηφῶν.

Ibo. In hocce mundo ab arte gloria parva labore venit.

Summa 3071.

I	45	M	78	G	28	L	66												
B	3	U	210	L	66	A	1												
O	105	N	91	O	105	B	3												
	153	D	19	R	153	O	105												
I	45	O	105	I	45	R	153												
N	91	A	1	A	1	E	15												
	156				398		343												
H	36	B	3																
O	105	P	120	V	210														
C	6	A	1	A	1	E	15												
E	15	R	153	R	153	N	91												
	168	T	190	T	190	I	45												
		E	15	A	1	T	190												
			363		465		551												

ELABO-



553742

ELABORATIO.



Bo lubens PATRIA, TIRO proficiscar in
VRBEM,

Fundator cujus, REX ODOACER,
erat.

Hospitium illa triurbs tenuis-hac-dedit utile PHOEBO.
Dextera quem celsi PRINCIPIS, alma, fovet.

Ibo; moras fas est neque neitere porrò GEDANI,
GLORIA me Musis invigilare jubet.

Ergò sub hoc nostro PASTORE & RHETORE dices,
Dices, sub Clario sive Pericle, Vale.

Itò bonis avibus, proficiscere salvus ATHENAS,
Sit felix itiner, capta, JEHOVA, bece!

Vt tamen invitet Studiosos clara Liceo
FAMA, Valedicens, publica verba, facis.

Publica verba sonas RHETI, præsente SENATV,
Prætereo sicco, Numina plura, pede.

Hoc Tyrocinit specimen celebrabo Camænis,
THEMA quod & Momo complacuisse putem.

GLORIA THEMA FVIT, quem GLORIA Nobilis ur-
Huic facilem monstras, quâ licet ire, viam. (gets)

Sunt mule Musæ. Cultores Pallados olim,
In dubiam expulsi & Caracalla fugam.

Quid? graviora canam; levibus, loca sancta, popinis;
Immo Scholas stabulis, dixerat esse, pares.

Licinius pestem Musas, scio, virus & acre
Dissidii falsò sepè vocârat opus.

Est opus Helleboro temporibus hisce profectò;
Est durum tantis cor adamante magis.

Tygride

Tygride pejores, infausto sidere natos,
Talia Barbarico, vix decet, ore, loqui.

Quelibet invisos etas alit artibus hostes,
Ichnobaten curat mens generosa parum.

Scilicet ut Lælaps cornutum Actæona quondam;
Non aliter laceret, talia monstra, Dromas.

Esto. Suo precio veneranda scientia multis,
Mens quibus est luto de meliore, tamen.

Carneades MUSIS adedò ferventer inhaesit,
Vi velut ex sese raptus ubique foret.

Fortunate senex ergò tua fama manebit,
Istula donec erit, Bregela donec erit.

Aonias conservat HONOS feliciter artes,
In magnus magnum gloria calcar habet.

Maeste tus Sophicis, labor improbus omnia vincit,
Sedulitas cælum frangit, & astra ferit.

GLORIA doctiloquum comitatur GLORIA quemvis,
Si sua Gorgoneis proluat ora cadis.

Fama jacit solum didicisse fideliter artes,
Hæc vivet, hæc avidos effugit una rogor.

Laude piâ trahimur, trahit & sua quemque voluptas,
Quærendi nobis nominis ardor inest.

Miles is est Mopsus, Corydonem hunc jure saluto,
Si FANVM negligat scandere, MARTE, sacrum.

Floret in hocce quidem Marvortis & ardua Mundo
GLORIA Sanguineo parta labore diu.

REGVLVS & Gracchus, Fabius cum Cocle, Camillus,
Pyrrhus cum Decio, Scipio testis erit.

Non equidem invidco Bellonâ extendere famam.
GLORIA Phœbicolis major ab arte venit.

Ovid. lib. III.
Fab. 5.

Sunt

* * *

*Sunt diversa DEI dona; hic per mille triumphos
Alter per Martem, tertius arte nitet.
Sis pius, & doctis juvet impalescere chartis
Munificus semper, crede, Lucullus erit.
Sufficiat. Rivos, Musæ, jam claudite Vestros.
Nam paucis etiam gratia major inest.
Tibia suspensas aliorum mulceat aures.*

THEMA *satis gratum, quod recitabis, erit.*

M. Adamus Bythnerus P.L. Cæs.

in Fortalicio Dantiscano, ad ostium maris
Balthici, Mündæ, Pastor.

* * *

Ex eadem numerorum Triangularium.

C A B A L A

JOHANNES VALENTINVS RHETIVS
DANTISCANVS BORUSSORVM 48II.

Votum.

*Evange viam studio; metam perferre laboræ,
Hinc scandes doctæ, ad culmina sacra, Vale.*

sub labore arduo
laboriosum quondam discipulum
hoc animi voto
suffulcire volui.

Georgius Dan. Coschvitijs, Ligiô Sil.

p.t.
GENEROSI VIRI

Dn. Ernesti Georgii à Sparrs, in Tramp &
Prenden Hæreditarii, Sac. Cæs. nec non Reg. Maj.
Pol. ac Svec. Cubicularii, Colonelli, & Generalis
Armamentarii Præfecti, &c.
Concionator Aulicus.

PROPEMPTICA

in

HONOREM

Joh. Valentini Rhetii

Dantiscani Porusii,

AD

ATHENAS PORUSSIAS

abiturientis, de gloriâ publicè per-

orantis: Gymnasio Gedanenfi
valedicensis.

ORBem per totum fervet certamen honoris:
Nemo est contemptor qui velit esse sui.
Diversis tamen ex studiis laus quaeritur illa;
Maxima pars hominum præmia falsa rapit.
Supremum quisquis Numen, patriamque, suosque,
Virtutemque pari religione colit,
Et Musas amat ingenuas, non interit unquam,
Sed toto sese nomine tollit humo.
Has mihi nec livor, Rheti, malus auferet artes,
Nec mors in tantas quæ nihil auder opes.
Hæc tibi si cordi est, quam laudas, gloria (& esse
Novi) te quondam gloria fera manet.

ex tempore scriptæ

Mart. Opitius Secretarius

Regius, Consiliarius Ligio-Bregensis.

Joannes - Valentinus Rhetius

per anagm.

I. nonne eâ in Virtute Salus?

ET Studii & Virtutis calcar Gloria est,
Ingenii de quâ tua currunt flumina,
Flos juvenum, Rheti, blande & felicitæ.

A

Hanc

Hanc animo Spectas, oculis spiras piæ.
 Ipsa fuit patri Pulsatrix antea;
 Mitteret ut docto Natum Micralio,
 Ultima quem mundi Stetini è moenibus
 Secla. sub astra ferunt famâ dignissimum.
 Hæc fuit ut Juvenis Patriam nunc gaudeas
 Linqvere, Cognatos, fratresq; sororculas,
 Atque LYCEUM invisere mox PRUTENICUM.
 Ingeniosum, quod claris jam Civibus
 Hortus ceu floret verè cultissimus.
 I: Aganippæi, Rheti, tu lumina
 Istihic multa chori invenies: ad candidos
 Pieridum saulto Patronos i pede.
 Sis felix! vitam longè DEUS augeat
 Sic & honores! ut vigeas, votis precol,
 Nobile depositum Patriæ! DEUS annuat!
 Inprimis Studium Pietatis sit tibi
 Hac etenim in Virtute Salus certissima est.

fauste acclamat. ergò E.

Mich. Albinus Dantisc.

ad D. Cathar. Subdiaconus.

Assum cultu nihiidissimo Juveni

DN. IOHANNI VALENTINO RHETIO

in Academiam Regiomontanam propediem
 abituro.

IOHANNES VALENTINVS RHETIVS,

anagramma.

Juvenis arte nitens, volans.

Squalor fedat eos, quorum ignorantia mentem
 Occupat, illorum gloria repit humi.
 Quos artes potèere, nitent, bi fece popelli
 Exemti, terræ climâ per omne volant.
 Tu, RHETI, quoniam voluisti sedulus artes,
 Arte nitens Juvenis diceris, arte volans.

J. G. Mœresius.

DN. RHE.

DN. RHETIO.

Virtutis Ardeam qui Solers assequi
 Anbelat; arduum sibi ponit Scopum.
 Roseta, per dumera tendens, suspicit;
 Algens jacet; tempus sudat quoque acriter.
 Victor, Brabei, olympico move obtinet
 Data coronâ Laureâ fugens Decus.
 Amisus es, Rheti, gnævus, per hispida,
 Famam HOSPIÆ directo tramite addere.
 Conamen optimum; praelatum sordidis
 Gazis Avari: qui terra mentem implicat.
 Cupido vana nulliusq; ponderis.
 Inter professos CHRISTI nominis Thronum.
 Ibis Prutenicas ad Athenas: inclyta
 Sinceritatis quò poli, Lux & Soli.
 Dulcor Thymi Socrati Biblici ordinis;
 Jurisperiti Laus, Medici & Belli Sophi.
 Sub Marte Athenarum eclipsis; Leges silent;
 Inibi Decor Togæ, percipit palladi.
 Scientiarum clencho aptissima eligas:
 Sperata curarum gustes Embammata.
 Collimat, huc Oratio terribissima:
 Virtute congrua quærenda GLORIA.
 Hoc suggero unicum, quod DIO Numine
 Carens Labor, Labor prorsus frustraneus,
 Vento secundo navi quando opus; poli
 Aurâ utitor: sic puppi & prora GLORIA.

Faulti Ominis ergò

Martinus Schmechelius

Eccles. fufim subdidit.

J. BENTHERI POMERANI.

DN. JOH. VAL. RHETIVM DANTISCANVM
 DE GLORIA

orantem

ALLOQVIUM

Epigrammaticum, Adhortatorium, Potivum.

Non

Non omnis Stentor, qui GLORIA! GLORIA! clamat,
Divæ meretur GLORIÆ stipendia.
Sapè tegat sordes vitiorum INGLORIUS, aptat
Sibi GLORIOSUS GLORIÆ maecelium.
Umbra sed ut numquam sine corpore; Sic, sine factis
Si GLORIOSIS GLORIARIS, irritum.
Quam struis ergo, RHETI, sit GLORIA, GLORIA Monte
In Regio si GLORIAM seclaberis.

Magna quidem reliquis à cunctis GLORIA rebus,
Magna à Martè: Tamen major ab arte venit.
Tu magnus, quod te mittentem cætera, RHETI,
Quæ venit à Musis GLORIA sola juvat!

P. Pahlenus S.S.Th. St.

Gloria virtutem sequitur, quæ est optima merces
Virtutis, fama est nescia namque mori:
Et virtus pulchra est, & honor virtute paratur,
Hanc qui seclatur, præmia digna feret.
Qui cupit idcirco magnum sibi quærere honorem,
Et gerere in cælo nomina clara loco,
Perpetuò genium virtuti destinet uni:
Ejus enim nescit vivida fama mori.
Et genus & proavos, & quæ non fecerit ipse,
Non ea quis curet; Sint labor atque preces.
Hac Cognate tuo meditans sub pectore firmo,
Non solum ingenium carmine nomen habes:
Verùm & de cathedrâ solerti disseris ore,
Æternæ famæ quanta sit utilitas.
Hac ratione tuum nomen, laudesq; manebunt,
Vt tandem scriptis nomen ad astra feras.
Perge, ut cæpisti, DEVS adsit sidere fausto,
Perpetuò possit gloria adesse tibi.

Paucula hæc in honorem consanguinei amantissimi
de gloria perorantis, adicere voluit.

Martinus Brinccius, S. P.

S.S. Theol. Stud.

Rhetorico

Rhetorico RHETI dum Rhetor amabilis ore
Verba diserta tonas, & benè tersa sonas,
Gloriola monstrando viamq; modumq; parandæ,
Virtutis vera quæ solet esse comes;
Glorificante tholo polydædala Gloria Mystam
Te nominasse sum talibus orsa ferunt.
Indugredi ô juvenis templi penetralia nostri,
Noster & esto, piâ nec retrocede viâ!
Sic ceromatico sacra niceteria collo
Clarus honore tuo diribitore feres.
Atque insculpta leges virtutis nomina cedris
Canus, tum famam Fama loquetur anus.
Quod precor & roveo! nec Tu mecum amplius optes:
Cætera propitio Numine Fata dabunt.

suo olim Discipulo apposuit.

L. G.

Scis, Rheti, dixi, nec vano nomine dixi,
Addere me scripto carminâ velle tuo.
Quid dicam? Nisi quod micet hac in imagine clarum
Ingenii lumen, testis adest oculus.
Ingenii magnum satagens benè cernere donum,
Aspiciat scriptum gnaviter ille tuum.
Ab te littera quæ præsens exivit in orbem,
De rebus magnis spem facit exitiam.
Vivè diu, & nostras ita sedulus excole Musas,
Præclarum doctâ nomen ab arte feres.
Quod frustra innumeri quærunt, tibi gloria surget,
Pergenti remanet gloria & omnis honos.

Benevolentia ergo apposuit

Daniel F. Gedanensis

Gloria virtutis calcaria præbet honesta,
Atque diserta parit pectora laudis amor.
Egregiè hoc mixtus multis ostendere pactis,
Commendans illam de meliore notâ.
Maestè igitur Rheti, virtute hæc ibis ad astra,
Sitq; oculis posita Gloria vera tuis.

Benjaminus Meinovius

Gedano-Prussus.

B

Sic

RHETI, conspicuo qui inhiare videris honoris
 Excelsa eximia virtutis in arce reposito,
 Terree, quem felix cepisti, persuecursum,
 Plus ultra plus usque velis contendere, cunctis
 Musarum obsequier quis, nulliq; labori
 Cœcere durando, sed contra ardentior ire;
 Sic sic virtutis dabitur conscendere callem.

F.

Henningus Hoyerus

S. P.

Sic Jannes, patrios Laves, parentes,
 Fratres, sic etiam tuas sorores,
 Et condiscipulos relinquere aude;
 Dum jam invisere Regias Athenas
 Contendas, ubi tot Viri politici,
 Musarumq; ubi castra qui sequuntur
 Est tantus numerus, Rheti quibus se
 Adjungi & numeraverit quis unquam,
 Non optaret & approbare? Ergo
 Tu quocunque etiam migrare tendas,
 Ite nunc avibus bonis, Minerva
 In castris quoque diligenter esto,
 Haud frustra rediturus es, valetō.

Joh. Weichmannus,

Wolg. Pom.

Joan-Valentinus Rhetius, Gedanensis Borusius.

anagramma.

Adsit nifus gravis: En subeunt honores! an viles?
 Exptic.

Adsit, Johannes, nifus gravis, is rate fausto
 Te valet in portu sistere proposito:
 Conatus qui quosq; bonos comitantur, honores
 En subeunt! Viles an reputabis eos?
 Ecce manet, quam commendas, te Gloria! Famam
 Incrementa suam qui petit, inde petat.
 Moli: ut immensam magnoq; labore locatam
 Pyramides perfiant, nec sua fata timent:

Non

Non secus assiduum (fugat incrementa remissum.)
 Quam peperit studium, fama perennis erit.

Hæc talia autægetias, non arveos
 fundebat

Caspar Hojerus, S. P.

Flumine fermonis graphice celebrabitur abs te
 Gloria, virtutis laudisq; cupidine ducto.
 Egregium factum, quod cui laudabile non est,
 Is filices circum præcordia ferrè viderit.
 Artamen ornatis illam depingere verbis
 Non tam difficilis res est, ac ardua; verum
 Præclaris meritis laudes extendere famam,
 Hoc opus, & labor, hic nervos intrèdèrè oportet.
 Quippe honor est soli virtuti debita merces,
 Quem, qui desidiam, luxumq; sequuntur inertem,
 Accipiunt nunquam, miseri sine laude jacentes.
 Ergo laborandum est totis conatibus, atque
 Vincendi casus duri virtutis amore.
 Nam quicunque cupit cognoscere plurimam, & altum
 In terris virtute aliquam sibi quærere nomen;
 Hunc vigilare opus est, nunquam præclara geruntur.
 Stertendo, & molles detrectat gloria plumas.
 Rectè igitur Rheti famam succurris amanti,
 Namque jubes illum doctis pallefcere chartis,
 Et varios versare libros noctesq; diesq;
 Ingenio ut prætare queat memorabile quicquam,
 Ac sudore sibi laudemq; decusq; parare,
 Præmia doctrinæ, quæ si tollantur, & ipsa
 Tolleretur virtus, omnes artesq; peribunt.
 Tu quoque, qui tentas aliis sufficere calcar,
 Quod stimulus multos ducat virtutis ad arcem,
 Hòc instigatus; studiis dans tempora, pergas
 Ad famam fanum pleno contendere cursu.
 Longum iter ascendas, concedet gloria vires,
 Efficiet facilem atque brevem quemcunque laborem,
 Adde, quod est majus, capitis venerabile nomen.
 Vela secunda dabit, cunctos hominesq; faventes.

Gratulabundus qualitercumq; accinebam

Michael Falckius,

Dantisco. Porussus.

¶ *Cilicet huic tandem lautissima præmia cedent,*
Vna cui semper gloria meta fuit.
En verlis, factisq. præs modò chare Johannes,
Quaq. via ad famam regia, ritè doces.
Perge, dicitq. tibi præsentem fervet jhorva,
Senjum, sic surget gloria, lausq. tibi.

F.

Christianus Rosteufcherus.



Vota preCesqVe DeVs, preCor has eXaVDIat: ILLô
Insigne Insignis gLoria CaLCar habet.



*Sic
Ultimus ultima
ultimè
vota dō*

J. V. R.



DE GLORIA ORATIO

pro
gloriolâ consequendâ

favoreq.ue emerendo

IN
GYMNASIO GEDANENSI

ANNO
M DC XXXVIII
DIE XVI DECEMBRIS
publicè recitata

et
Amplissimo Senatui

CIVITATIS GEDANENSIS

in sui studiorumq.ue suorum commendationem

debitâ cum animi submissione
inscripta & exhibita

â

JOHANNÉ VALENTINO RHETIO
GEDANENSI

•• * ••

TYPIS RHETIANIS EXSCRIPTA.

NOBILISSIMO
MAGNIFICO ET AMPLISSIMO
SENATUI
CIVITATIS GEDANENSIS

hanc à me habitam

ORATIONEM

subjectissimè offero

&

EIDEM

pro Audientiaè honore habitò

devotissimè

eum humilimà ulterioris benevolentiaè

&

Patrociniù supplicatione

gratias ago meritissimas.

JOH. VALENT. RHETIVS.



AD AVDIENDAM DECLAMATIONEM INVITATIO

DE GLORIA

VIX IGNOBILI MEÒ ARBITRATV PROPOSITO
IN TYROCINII SPECIMEN

JOHANNEM VALENTINUM RHETIUM

NOSTRÆ ALVMNV DISCIPLINÆ

VERBA FACERE PARATVM

IN CATHEDRAM PUBLICAM

UBI DECLAMANTIUM SPECTANTUR PERICULA

IN MAGNO GYMNASII NOSTRI ACROATERIO

DIE XVI. DECEMBRIS AD HORAM NONAM

COLLOCARE MIHI INSTITVTVM

QVVM

URBIS HERI AMPLISSIMI

Consules

Senatores

Scabini

ITEM DIGNITATE ET ERVDITIONE VARIA

Spectabiles Viri

CIVITATIS LVMINA COLUMINAQVE

NEC NON

VIRORVM JUVENVM NOBILISSIMORVM

Literata Familia

PATRIÆ SPES

AD GLO-

AD GLORIÆ STUDIUM STUDIORUMQUE GLORIAM
 ADOLESCENTEM STIMULANDI GRATIA.
 ADSPECTUS ET AUDIENTIÆ HONORE
 ORNARE UT NE DEDIGNEMINI
 SI ID VESTRO POTEST FIERI COMMODO

VOS

QVA PAR EST
 OBSERVANTIA COMITATE
 STUDIO ET HUMANITATE
 INVITO ATQUE ROGO
 VOBIS AUTEM ELOQVENTIÆ DEDITÆ
 CORONAM LECTISSIMAM
 SOBOLEM NOSTRAM

ADVOCO

JOHANNES MOCHINGERUS
 CONCIONATOR ÆDIS CATHARINIANÆ
 ET RHETOR GYMNASII

ANNO MDCXXXVIII

ORATIO.



Mnium atque singulorum,
 mundi domicilio comprehen-
 sorum hominum mentibus infixum,
 & implantatum radicatus quasi est,
 ut honorem gloriamque, ejus in-
 citatæ stimulis, præ rebus omnibus,
 quarant spectentque: quanquam in eò miserè aberretur,
 quòd non semper rectâ ad ejusdem arcem grassentur
 viâ, atque curriculò. E reliquò tamen mortalium
 numerò eos, qui literarum, artiumque bonarum tra-
 ctatione sibi decus, famamque comparare annuntur,
 rectissimè facere nullum est dubium. Illi autem, & rei
 familiaris posthabitâ curâ, & ipsâ verò etiam valetudine
 neglectâ, propulsatisque cum charitatibus, tum volu-
 ptatibus omnibus, literarum studiis incumbunt, lon-
 gasque, ut & difficiles, instituunt peregrinationes, ut
 animo tantum suo, gloriæ cupiditatè stimulatò, morem
 gerant: nisi quòd hos inter etiam discrimen reperia-
 tur, & discrepantia, etsi idem sit scopus universis, glo-
 ria. Alii quippe unice hoc intendunt, ut hinc tantum-
 modò per ora virum volent; alii, ut Cælo nomen infe-
 rant suum, æternâque poriantur gloriâ. Non autem
 negaverit quispiam, æquâ lance omnia ponderans, re-
 ctam illos tenere orbitam, qui istud sibi præfixum ha-
 bent, ut & qualemcunque in hoc orbe, & præsentî vi-
 tã consequantur famæ celebritatè, potiorem verò ac
 duraturam in, alterò, nunquamque finiendò seculò.

A

Hæc

Hæc cœlestis; illa terrena est gloria. Ad cœlestem verò istam, quæ una, solaque, & vera, & æterna est, conditor arbiterque mundi omnes vocavit; terrenam nosmetipsos lactamus. Hanc expetit animus, si sapit, suæque memor est originis; illam anima desiderat. Ast ut, corporis dux & imperator, animus animæ subjacet imperio, & ad leges, quas illa dicat, nutum suum componere debet: Ita ad cœlestem referre etiam terrenam, neque hanc expetere, nisi propter istam, convenit. Faciens scilicet graviter peccat, nec gloriæ cupidus dicendus, sed vani solummodo cujusdam splendoris, ac caduci, fumique jamjam perituri, qui cum mundo expirabit, atque quoque ante eum, ultra certe non erit. Verum ô cœlestis honor! ô cœlestis gloria! tua quoniam me fugit magnitudo, aciem humanæ mentis perrumpens, in tacitâ te admiratione venerabundus reponam, de terrenam duntaxat verba facturus. Quanquam autem eam ipsam etiam laudibus celebrare possem, non tamen, quemadmodum forsitan haud pauci sentient, dum de gloriâ me dissertaturum audiunt, id ipsum agere fert animus. Cum bono enim illud laude efferrem, quod ipsa laus est? Propositum igitur mihi hoc futurum habete: præsentem Musis deditam cohortem, cujus ego pars qualiscunque sum, ad gloriam amplectendam, famæque decus, omnis auri possessione potius, sectandum incitabo atque adhortabor.

Opus quidem aggredior valde illustre, si argumentum specto; valde arduum, si vires meas; valde magnum, si cum primis Vestram, VIRI HONORATISSIMI, imò ipsorum quoque Commilitonum meorum frequentiam;

tum loci celebritatem; porro studia Auditorum cunctorum; & animos denique in me intentos. Quanquam autem, (neque enim diffiteri volo, quod ipso vultu profiteri cogor,) non parum timeam mihi, perseverabo tamen in audaciâ, cujus veniam mihi facilem ab animo æquò promitto. Nec me absterrebit infantia mea, quam non nihil vereor, ut proditurus nunc sim: vel materiâ ipsa tam gravis, tam præclara, ut dignitas ejus non parum obstat, splendorque mei aciem ingenii perstringat. Quando enim, quæ volo, aut debeo, non possum; hoc ipsum, quod possum, si velim, & præstem, omni me notâ vacuum existimabo. Neque spero, ingenii imbecillitatem quisquam ut vitio vertat: quin imò, si minùs satisfecero, aliorum certe solertiam, vice cotis, quæ exfors ipsa secandi est, acuero. Utinam verò exstaret magni illius CICERONIS, Romanæ copię, sapientięque Eloquentię principis, Latinarum literarum parentis, elocutionis novæ floridioris inventoris, veteris inchoatæ perfectoris; Utinam, inquam, exstaret, quod se de hoc argumento scripsisse ipse testatur, opus & elucubratiô: profectò nihil, aut parum omninò in proposito nostro, non mihi tantum tironi, sed & vix aliis eruditorum, qui hanc materiam commentatione percolere lubirum haberet, adeò operose esset laborandum. Sed, quicquid est, non migrabit animus abs institutò, nec mens trepida facta ruet: dicta implebo, dicenda producam in apricum.

Vos autem Auditores, gloriâ, de quâ dicere constitui, refertissimos, universos meos Dominos, Patronos, studiorumque Fautores benevolentissimos ob-

servan-

ſervantiſſimè oro, & obteſtor, velitis vacuas aurium Veſtrarum aedes mihi benignè & benevolè aperire. Per favorem, quò ſtudia proſequimini; per honores & dignitates, quas à ſtudiis habetis; per claritatem & fortunas, quas varia virtute adeptas poſſidetis, Vos oro, ut ſi quis bonus genius benevolentiam Veſtram, ad me patienter & humaniter audiendum, jam mihi conciliaſſavit, & conſuetudo Veſtra mihi pollicetur, eandem retineatis, & quam aliis ex hoc loco dicentibus præſtititſtis attentionem, mihi quoque hanc ipſam conſervetis. At verò ego totus am conſido, Auditores Honoratiſſimi, Vos petitioni meæ ſatiſfacturos: Re igitur penitiùs mecum delibèratâ, eam ipſam aggrediar.

Eſto autem hæc Paræneſis, ad præſentes liberalium artium virtutumque Studioſos, pro conſequendâ gloriâ directâ, proſperisſimisque apud omnes recordationibus. Agite itaque, & Vos, ô mei! in literarum tractatione ſocii noſtræque, ſi quam vel jam hæbeo, vel aliquando adipiſcar, gloriæ æmuli, ut mihi de graviſſimâ hæc materiâ, non tam diſerte dicenti, quàm infantiffimè balbutienti aures, animosque faventes, accommodetis: quorſum ſummò Vos velim rogatos ſtudiò.

Literarum optimarum, laudiſque eandem culturâ parandæ Candidati, Auditores, Commilitoneſque mellei. Haud ignobilem ſecundæ exiſtimationis, gloriæque cupidinem pectori Veſtro inferturus, ordine, opinor, ſecreto, ſi eſſata quædam, (eſſata verò? imò oracula.)

è cœ-

è cœleſtibus literis protuleſo, facile; ut perſuaſum hæbeo; Vos antè omnia incenſura; ſicuti eadem nunquam non apud rectas mentes magnarum ſunt virium. Quem admodum enim PROMETHEUS, ſi Poëtis fidem non abnuimus; cœlò delatum ignem cum mortalibus communicavit; cujus lucè caloreque hodiernum fruimur: Ita arbitror fore, ut admotis, ad præcordia veſtra; divinatorum pronunciatorum facibus, quem in animis veſtris excitare volo, ardorem certo certius concipiatis. Ceterum, magnùm illud omnigenæ ſapientiæ miraculum, & oraculum; SALOMON; (ipſe; ſive ob multitudinè opum, ſive ob magnitudinè variæ eruditionis cœlò infulæ; famâ valdè magnus;) ſic nobis gloriæ ſtudium commendat, cum inquit: *Optatius eſt nomen bonum divitiis multis, ſuper argentum enim & aurum gratia florens.* Quò ipſo ſermone clariffimus Rex clariffimè innuere videtur, multis partibus ſe omni auro argentoque ſuo carere maluiſſe, quàm nominis claritudine: Quò locupletior em; ut loqui mos fert; teſtem cur quæramus? Sed verò etiam Eccleſiaſticus Scriptor, multum divini Spiritus adeptus, ſapientiæque omnivariæ, SYRACIDES; JESU nomine ex conſuetudine patriæ gentis inſignitus, æque nos adhortatur, ut nominis boni ſimus appetentioreſ, quam gazarum quarumcunque Perſicarum, in eò cum Regum, ac tantum non hominum, ſapentiſſimi judicio multum conſpirans; cujus hæc eſt admonitio claris verbis concepta: *Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi; quam mille theſauri pretioſi & magni: Bonæ vitæ numerus dierum; bonum autem nomen permanebit in æternum. In omnibus operibus tuis præcellens eſto; ne*

fama tua maculam imprimas. Si igitur tam sapientibus, quorum verba accepimus, autoribus nullam habere nos velle fidem videri nolumus, aut seorsim sapere, hoc est, reverà, desipere; concors esto nostrum de prosperâ famâ iudicium, quò ad eandem rectò studiò, omnibusque votis concupiscendam stimulari debemus, atque incitari. Sed plura non accumulo. Habetis AUDITORES, quæ pro eâ, quam aliquò studiò acquisitam habeo, (favente DEO, ætatis accessione, industriæque intentione adaugendam,) Scripturæ notitiâ è pandectis eiusdem, tanquam olympicis thesauris, hâc vice, expromere volui, & meis in gloriâ appetendâ æmulis offerre. Quibus aggregare possem alia, sed his sic satis contenti esse quimus.

Videamus verò serie, ut reor, bonâ, nos eò ducente, quomodo etiam non scripta, sed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex naturâ ipsâ arripimus, hausimus, expressimus: ad quam non ducti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: Natura dico, rerum omnium mater, dux vitæ optimæ, ad gloriæ celebritatem; nominisque famam consequendam nos adducat, impellatque. Ipsam, inquam, audiamus: Illa, ut est cuique quædam dux; ita cumprimis maximus gloriæ imperator. Hinc sanè CICERO, cum benè loquendo, tum non minùs sapiendo nobilis, luculentissimè ita de eadem: *Exiguum nobis vitæ curriculum natura circumscripti, immensum gloriæ.* Ex quibus ejusdem verbis in proclivi est discere, quomodo & natura ad gloriâ nobis dux, autorque sit. Ejusdem porrò alia verba alio loco sic se habent: *Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque gloriâ ducitur.* Naturâ pura, ut

antea eundem dicentem, docentemque habuimus. Ab hâc igitur, ut liquet, causâ est, quòd ipsi Philosophi in libellis suis, quos de contemnendâ gloriâ scripserunt, nomen suum inscribant, ac in eo ipso, in quo deprædicationem & nobilitatem nominis despiciunt, prædicari sese ac nominari velle non obscure innuant. Eos equidem quid aliud ad id permoverit? quàm quòd natura eos ipsos hâc lege teneat, ut, gloriæ dulcedine inescati, in id incumbant, quòd gloriâ possideant, & in eorum, qui chartas eorum lectione & pervolutione dignabuntur, ore sint, atque sermone. Quapropter & id jam lucidum esse confido, naturam, ut omnipotentem rerum omnium, ita & gloriæ acquirendæ matrem esse. Sequamur eam: hâc duce nullo modo errare possumus. *Tenenda est via, quam natura nobis præscripta, nec ab eâ declinandum; sequentibus illam, omnia reliqua, ad boni optimi, ac bonarum actionum præmii excellentissimi, cupiditatem, facilia, & expedita erunt: contra illam virventibus, non alia vita erit, quam contra aquam navigantium.*

Postquam igitur hæc à me fundamenta sunt posita, suffragiis divinatorum hominum, famæ appetitum nobis insinuantibus, allatis, & ostenso eò, quòd natura nobis autor sit gloriæ affectandæ, apertis carceribus procurro, viam porrò monstraturus, quâ ad laudis possessionem pervenire liceat. Ea quamquam sit varia, regia tamen est illa literarum; quæ vel idèò tractandæ, quia sic longè certissimè insigne nominis decus immortalis parabitur. Negat hoc aliquis? negat eodem ausu solem lucere. At penè tanta est claritudo nominis eorum, qui à doctrinâ inclaruerunt, quanta est mundi

mundi oculi. Sicuti enim ille universum radiis suis complet orbem: Ita nomen eruditorum quorundam non minus per Hesperias, quam Eoas pervulgatum est oras. Et magni quidem istius luminis lux his aliquando eripitur oculis: Virorum autem doctorum famæ encomio celebratorum, splendor nocte dieque nostræ oblidit memoriæ. Vnde exfertis verbis clarissimus SENECA loquitur: *Studia te tua clarum, & nobilem efficiunt*. Percepistisne verò, quantum satis est, ô mei! hanc gravissimi autoris disertam assertionem, mille testimoniis comprobata; comprobandam. Quin igitur quilibet cum eo sic insuper aquid animum suum statuât, dicatve: *Studio me dabo*. *Omnia alia negligenda sunt, ut huic assideamus, cui nullum tempus satis magnum est, etiamsi à pueritiâ usq; ad longissimos aeternitatis terminos perducatur: resistendum occupationibus*. Alter ita: *Ego discendi, seu studendi cupiditate, quam solam vivendi rationem optimam existimo, in octavum, & septuagesimum annum aetatis vitam produxi; mecum sum hujus sententiæ, quam dixisse fertur Solon: Etsi alicuius pedem in sepulchrò haberem, adhuc addiscere quædam vellem*. Quando autem quoque eodem de Poëta nos commonet: cum inquit:

Artibus ingenuis quaesita est gloria multis.

Age, & alterum ex eodem choro, quemlibet è cœtu nostro sic adhortantem audiamus; cuius hæc sunt clarissima verba:

Intendes animum studiis; & rebus honestis.

Intellexistis itaque focii mei, (siquidem Vos, & in literis, & in gloriæ parte, socios non recusos;) studiorum culturâ gloriâ acquiriri debere.

Verunt

Verum, addite aliquid audientes, quod ego non debeo non adjungere dicendo: Studiis virtutem affociari debere. Studia, inquam, sint virtutis. Virtutis enim tantum viâ ad campum gloriæ tenditur; alia non patet. Istam nisi quæris; hanc non invenies. Invium erit, ubi pedem posueris; & cum diu multumque te fatigaveris, non proficies hilum. Sisyphum nosti, & ejus saxum? Tu iste in hoc casu, & volves, ac revolves sine ullo laboris fine. Zeno ecce ad aures: *Non, si magnus fueris, bonus eris, sed magnus, si bonus*. Audi, fodes, rectè monentem, & sequere. Vocat te ipsa virtus: huic *in via nulla via est*: hæc ad gloriâ perducere ultro vult. Adhortatur te virtus, ut adfurgas; porrige manum: adnitere, adnitere: poteris, si voles; velis quoque, quia possis. Quod offert munus, maximum est; nec dari amplius ullum potest: à benignâ manu capè avidâ manu, & gratum habe. Hoc natura quoque exigit, ut virtutem quæreres. Nec enim recti planè, sed perversi animi est, quærere gloriâ, & non exercere virtutem; & velle coronari, qui non legitime certavit. *Virtus mater gloriæ est: sola enim est, cui gloria debetur jure*. Quæ autem est sine virtute gloria? Quære igitur virtutem, & habebis gloriâ:

- - - *vehet super athera virtus.*

Sic: *I, bone, quò virtus tua te vocat, i pede faustò;*
Grandia laturus meritorum præmia, quid stas?

Quæ verò sunt meritorum præmia? gloria. Hinc SENECA quoque nullum esse aliud virtutis præmium fateretur, quàm immortalitatem, virtutem in eo libro, quem de immaturâ morte conscripsit, laudans.

C

Ita

Ita, quæ tribuetur laus, non consistet in ceremoniis & externo cultu, pompâ, & imaginibus, sed commemoratione & commendatione meriti.

At verò cogitet aliquis, me tam multa de gloriæ concupiscentiâ perorantem audiens, immemorem me esse quæstionis illius, jam protritæ penè, & magno verborum flumine à multis agitata: An appetenda quidem sit gloria? Nam, si eam vel votis quidem quærere nefas est, quorsum omnis hæc exhortatio? quorsum hoc classici? Negant autem quidam, laudabilem aliquem esse gloriæ amorem, quem opprimi malint, quàm ali. *Fugientem, ajunt, sequitur. Virtutem quare, non propter illam, gloriam nempe, sed propter se. Præclaras res gerens, non quod illam spectes, aut speres, sed quia aliter non queas. Virtutem habenti magne virtus est illam contemnere, ipsa sibi splendidum satis præmium. Omnino magnum est, non expetere, quod merearis, imò magis, quàm mereri; aut si hoc nequis, dissimula, & appetere nolis saltém videri; ultrò tibi à tergo præsto erit, & quoquo te vertes, comitem dabit, sequeturq; nolentem, fugientem. Dissimula ergò, & adfœdum istum frenans, impera tibi; maximum imperium tenebis, maximum honorem, maximam gloriam.* Atque hæc Philosophorum quidem quorundam sententia, qui disputare de eâ, quàm appetere maluere, aut aliquid deniq; eâ dignum præstare. Et illi quidem ita vixere, quasi pulchrè pilosophari idem esset, quod bene vitam instituire, gloriamque promereri. O homines absque mente! ò Philosophos absque veræ Philosophiæ cognitione, possessione, studio. Quis virtutem à gloriâ separabit? quis sanus plus esse dixerit, non expetere, quod merearis

aris, quàm mereri? Largior verè à **LIVIO** esse dictum: *Spreta in tempore gloria cumulator interdum redit;* æstivantibus cæteris spe majorum præsentia negligi. **ALEXANDER** furari victoriam turpe censebat; illi gloriam. Et profectò, cum, quicquid bonum, laudabile meritò habeatur; quæ dementia est? istius in sese cupiditatem, spemque eò porrectam, aut nolle profiteri, aut non audere, aut denique non esse profitendam existimare? Istud quidem extra controversiam; Virtutem sectari non propter gloriam oportet, sed etiam gloriam per virtutem: ipsa sibi amplum satis præmium virtus; sed in hominum tamen præcordiis, nescio quomodo, plurimum habet efficaciam gloria: magis excitat, invitat, impellit.

- - - *Quis enim virtutem amplectitur ipsam,*

Præmia si tollat, patriam tamen obruit olim.

Gloria paucorum, & laudis tituliq; cupido.

ille mortalium rector animus, quatenus quidem rectus, præter virtutem quærit nihil; at quatenus magnus, etiam gloriam. Nunquam verò, *Major fame suis esto, quàm virtutis:* ut inquit **JUVENALIS**. Absit. Quid humana vita omnis absque gloriâ? nihil, nihil! Mundo humanum eripere; homini gloriam, idem est. Illò sublato quis mundum optet? hæc, quis vitam? Solem tolle, & tenebræ erunt, atque ille ipse, quem terimus, terræ globus ignorabitur; ignorabitur cælum; & quò fessi rebus humanis aspiremus, non habebimus. Tolle gloriam, itidem tenebræ oborientur. Non rectum, non turpe, non virtus, non vitium, non fas postremo, non nefas ullum apparebit; errabit quasi in illuni nocte unusquisque, nescius, ubi pedem figat, ubi insitat. **EURYPRAMUS**

PHAMUS vitæ partem gloriam appellabat: sanè magnanimo, qui vivere sine illâ nullò modò potest. Mirùm igitur, ut PLUTARCHUS loquitur: *Venerabilem passim vel negligi, vel contemni.* Sed de neglectu satis: superest, ut contemtum explodamus: nec contemtum etiam merum; verùm convitium quoque. Amat quis meliorem mentem, & extollere caput conatur supra inglorium atque illaudatum vulgus? E vestigiò ambitio vocatur; de quâ satis superque suò locò dicendum erit. Quæ dementia est, si non hæc? In amplissimum theatrum, in omnium oculos productus, à DEO tu surripere te ac latere postulas? sive bonus, sive malus; nequis. Quippe nec latebras virtus patitur, nec vitium invenit. Observaris, & quicquid agis, in parulo est. Vult DEUS cognosci præstantissimum opus suum: vult donâ, quæ tam larga contulit, tam magna. Tu verò abijcis temet in tenebras: id est, ortum tuum fastidis, ac damnas? iniquè fers narum esse? occultas beneficiâ divîna? eripis DEO honorem? improbe fuis. Revertere, revertere, & per commodâ tuâ cogita illud, quod è cœlo descendit.

Nosce teipsum.

Et, quam nactus es, spartam exorna. Persvadeat prudentiæ civilis pater, qui TIBERIO olim ingerebat; *Optimos mortalium altissima capere, contentu fama contemni virtutes.* De Romanis CRISPUS testatur; laudis avidos, pecuniæ liberales; gloriam ingentem, divitias honestas voluisse. Gloriam ardentissimè dilexerunt, ob hanc solam & vivere voluerunt; huic vitam impendere intrepidi non dubitaverunt, ceteras malas cupiditates hæc

hæc unâ prementes. Etenim, ut in ædibus, rixantibus famulis & ancillis, subitò Dominiæ interventu consternantur omnes ac silent: Sic in animò turbam dantes adfectus statim componuntur, si sola gloriæ cupiditas præsentem se stiterit. Valeant itaque isti, quibus negligenda, contemnenda videtur; plorent, ac cepas edant. Places, placebisque in æternum tu pectoris honesti fax;

- - - *Tu sola animum mentemque perurris.*

Manet igitur, appetendam esse gloriam, sed per virtutem duntaxat. Virtus nullò tempore relinquenda est. Virtutis uberrimum alimentum est honos. Qui virtutem habet, ille nullius rei ad bene beatèque vivendum indiget. *Hæc clara aternam habetur:* secundum SALUSTIUM. Hæc quod conjunctum & honestum est, id solus opinor bonum. Virtus extollit hominem, & supra astra mortales collocat, nec ea, quæ bona, aut mala sunt, aut cupit nimis, aut expavescit. Nullam hæc aliam mercedem, præter hanc laudis & gloriæ, desiderat. Gloria umbra virtutis est, etiam invitos comitatur. Sed, quemadmodum umbra aliquando antecedit, aliquando sequitur: Ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se præbet, aliquando in averso. Ante nos est, dum vivimus; in averso, dum mortui. Gloria amplissimum præmium virtutis est. Hæc vitæ breviter postteritatis memoriâ consolatur. Hæc efficit, ut absentes adsumus; mortui vivamus. Hujus gradibus etiam homines in cœlum videntur ascendere. Itaque,

Si bene agis, bene sit tibi; quid præconia quaris?

Virtuti facilis, promtaque fama venit.

Perbene autem intelligo, posse quenquam rerum intelligentem hic expectare, ut de virtutibus seorsim agam, quibus fama vera, gloriaque solida acquiritur; sed, id ne faxim, tempus suadet. Sic etenim neque supra de studiis, quæ hominem in summo collocare possint duraturæ memoriæ apice, sigillatim verba feci; quoniam id multarum horarum esset opus; mihi autem horulæ spatium unius legem figere scio & agnosco.

ET quando etiam accepimus, virtutem genuinam esse gloriæ generatricem; anquiramus dehinc, num verò etiam obstacula quædam, quæ gloriæ adipiscendæ impedimento sint, sese offerant? Eadem cognovisse juvabit, ut ne nobis sint remoræ, & obicis instar. Fateor verò, sunt illa cùm numerò multa, tùm pondere gravissima. Non enim usque ad eò facilis ad gloriæ arcem via. Sed sit difficilis, variisque veptibus ac dumeris adumbrata, & referta; eniti tamen licet, modò vires addamus, & omnes, & summas. Sicut enim fortissimus miles, MARTIS pullus, omnem curam, omnes vires in præliò impendit, quò hostem, quem sibi ob oculos positum videt, superare queat, penesque se ut maneat victoria, studet. Sic quoque nos, qui PALLADIS armatæ assecræ sumus, & sub eadem stipendia meremus, ad hoc omne rebur nostrum dirigere tenemur, ut ea omnia, quæ impedimentò forsitan studiis nostris esse possint, improbo, (ut Poëta loquitur, laborem hoc epithetò signans,) at verè probò conatu superemus. Difficilis, adhuc dico, imò difficilima ad gloriàm via datur. Verùm huc maximè spectat

spectat, animum habere magnum, & difficilia quæque aggredi, quia sunt difficilia, & id eò majorem gloriam allatura. *Magnos animos labor nutrit. Laborem si recuses, parùm esse potes laudatus: non enim viri magni, recusare laborem.*: SENECÆ verbis fruor. Quæ si jam de viris magnò animò præditis dicta ad nos, qui bonarum literarum cultores perquam studiosi dici volumus, transferre sit visum, id dici deprehendemus: Non esse studiosi, qui magno animo præ reliquis instructus esse debet, reculare laboris molestiam. Rectè MENANDER:

Laboriosus sis, Et vitam acquires pulchram.

Quid verò vitæ significare censuit pulchrâ? Nil, nisi gloriam: eique acquirendæ maximum laborem esse impendendum. Respiciamus DEMOSTHENIS vitam, qui ut Oratorum omnium laboriosissimus; ita clarissimus evasit. Qui ad eò fuit studiis intentus, ut comam, nativum capitis ornamentum, exeundi potestatem sibi præripiendo detonderet, ratus, id pulcherrimum decus, quod à virtute provenisset. Quæ igitur alii profundunt ad voluptates, ille continuis lucubrationibus impendit. Abeant igitur, auferantque se, qui perhibent, non esse macerandum corpus laboribus, simile ab arboribus adferentes, dicendo: *Arbores infœcunda firmiores sunt fœcundis: Ita robustius corpus est his, qui nihil pariunt in literis, quàm qui sese laboribus exhauriunt.* O homines cœcos! O absque ratione viventes! Sed non opus etiam est, ut exhaustius corpus laboribus; justus, & rectus, & modicus labor esse debet, sed magnus tamen.

Sed

Verum, quid & ipse prodest labor, nisi & industria ei adhibita fuerit? Non ineptè ergò Comicus ille hæc ut vera, ita & præclara verba in ore gessit:

Diligentia omnia subdita sunt.

Quidni ergò & labor, si omnia, diligentia subditus erit? Latet aurum in arenâ literarum, latent gemmæ, latent margaritæ, diligenter atque avidè conquirendæ. Vigilandum est de nocte; laborandum interdiu; frequentandum Lyceum; volutandi libri; stylus exercendus; nunquam studium, ne unò quidem die, intermittendum; si quid agere aut perficere velimus. Sic sanè non aliter itur ad gloriam feriâ literarum operatione parandam.

Quorsum autem ego hæc tam multa, & tam multis? Abrumpam potius jamjam, hæc modò adhuc dixerò: protulisse me ista scilicet, & plura etiam dicere voluisse, commilitones hos meos cum excitandi causâ, cum me cum maximè Vobis, DOMINI, AUDITORESQUE longè HONORATISSIMI, de notâ, quod ajunt, meliore commendandi. Studiis quia animum addiximus nostrum, quid aliud cogitare possumus, aut debemus, quàm gloriam? quò langueamus nunquam, aut institutum turpiter mutemus. Divitias nobis polliceri, atque animo destinare alienum foret; alius ad easdem tenditur viâ compendiò, quàm literarum: quas ut fama quidem, sic & plerumque fames consequitur. Sed jacta esto alea. Famam, si favorint omnia, virtutis artiumque culturâ venabimur: forte, quæ præterea obringet, de reliquò contenti. Hæc mihi sanè è Gymnasii hujus spatii in ampliorem A C A.

DEMIÆ

DEMIÆ REGIOMONTANÆ campum evoluturo, & hanc acturo rem opere maximo, mens & sententia, ut id à me utroque spectetur oculo, quod nunc, ut quivi, sermone omnium ante oculos posui. Literis igitur sedulam navaturus operam bonis, & virtutum summam habiturus rationem, faxo, ut, si merear, gloriâ aliquâ aliquando potiar, famæque qualiscunque præconio. Hunc mihi DEUS servet sensum & ardorem, quem inspiravit! & eundem Vos, MAGNIFICI DOMINI PATRONI, benevolentia Vestra & benignitate; Vos, REVERENDI PATRES, precibus Vestris; Vos, EXCELLENTISSIMI PROFESSORES, PRÆCEPTORES mei laude multâ inclyti, votis & commendationibus Vestris; Vos, FLORENTISSIMI CIVES, applausu Vestro; Vos, ADOLESCENTES ELEGANTISSIMI, æmulatione Vestra, (quæso Vos, atque obtestor, ut possum, &, ut par est, per sacra, charaque omnia,) fovere & alite. Quibus in studiorum meorum curriculo, atque vitâ reliquâ, si eam Optimus indulerit, si non omni, saltem aliquâ placuisse ratione, magnam gloriæ meæ partem ducam, & immane quantum lætabor. DIXI.

¶ 30

mf. 41200

O r a t i o

Oratio de gloria
[S. l., s. n., 1638].

2^o

Wrocław BU 553013

MIKROFILM 26 mm

negatyw 149 zwoj

pozytyw — zwoj